



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.50. Gervilio Episcopus depositus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæcul. VIII.
A. C. 745.

§. L.

Gervilio Episcopus depositus.

vit. S. Bonif. per Othl. l. I. c. 37. Sub idem tempus, nempe annum septingentesimum quadagesimum quintum, Sancto Bonifacio Auctore Carolomannus Princeps iussit celebrari Concilium, in quo causa aliquot Clericorum Hæreticorum ab Adalberto & Clemente seductorum ad examen vocata, & Gervilio Episcopus Moguntinus depositus. Is successerat Geroldo parenti suo, qui ut esset Episcopus, in acie contra Saxones dimicans lethale vulnus recepit. Ut morientem Patrem solarentur, dederunt ei Successorem in Episcopatu filium, laicum, & in Principis Aula tunc versantem. Haud diu postea Episcopus Gervilio (ita filius Geroldi vocabatur) Carolomannum Principem in Saxones moventem secutus, cum uterque exercitus in ripa fluminis adversa castra posuisset, unum servorum suorum in hostium castra misit, qui accurate perquireret, quis ille, & quod ei nomen, qui parentem suum in acie occidisset. Invenit eum, aliis monstrantibus, servus, rogavitque, ut ad Dominum suum venire non gravaretur, esse enim, quod solus soli loqueretur. Ergo ambo, equo vecti, in medio flumine congregiuntur, & Gervilio ense adversarium validissime ferit,

ferit, dicens, ita oportere filium genitori
 occiso parentare. Saxo animam agens
 in aquas corruit. Interim nemo Gervil-
 lionis factum damnabat, sed ipse Episco-
 pi Officio fungebatur.

At eum S. Bonifacius in Concilio cri-
 minis arguit affirmans, virum homicidii
 reum Sacerdotio fungi non posse. Præ-
 terea adjecit, quod eum suis vidisset o-
 culis, ludentem cum avibus & canibus,
 quod Episcopum minime deceret. Ita-
 que Gervilio a Concilio damnatur, &
 Episcopatu privatur. Ille quidem Ro-
 mam appellare meditabatur; sed videns
 potestatem sæcularem Concilii judicio
 consentire, cessit.

§. LI.

Epistola ad Regem Merciorum.

Verosimile est S. Bonifacium ex hoc
 Concilio litteras dedisse ad Ethel-
 baldum Regem Merciorum: nam in iis
 non suo tantum loquitur nomine, sed
 etiam septem Episcoporum, nimirum A-
 belis Archiepiscopi Rhemensis, Sancti
 Burchardi, S. Willibaldi, & quatuor a-
 liorum, qui minus noti nobis sunt. In
 Epistolæ exordio laudat Regem, quod
 eleemosynas largiter det, quod in Regno
 suo vim injustam prohibeat, Justitiam
 administret, & pacem conservet. Tum
 ad ea, quæ sibi proposuerat dicenda, trans-
 iens,

*Ep. 19. ap.
 Bar. an. 745.
 v. ep. 10.*